

# CAPUT PRIMUM

## Comprehendit Historiam Thematis Christi Genethliaci.

### §. I.

**N**on memini equidem me legisse, vel de ullo audivisse, qui peccatum Protoplastorum refunderet in astra, sive ut causas, sive ut signa; nec qui diceret, cum in astris velut in libris legisse, aut legere potuisse futuram serpentis tentationem, poenas à Deo imponendas, exilium à Paradiso post adventum Dei justi iudicis, futuram Abelis mortem, raptum Enochii, ascensum Eliæ, Gigantum generationem, & alia plurima, quæ in Genesi habentur: licet forte non desint, qui eò temeritatis-prorumpant, ut ea per astra deducere, & cognoscere præsumant. Constat autem, Astrologos in ea esse sententia, ac si vita Jesu Christi ab astris dependeret, & iis tanquam aliis hominis esset subjecta. Inter eos Architectos, qui Servatoris nostri Thema Genethliacum erigere, & ex hoc de illius Vita, Doctrina, Miraculis, Passione, ac Morte judicium ferre temerarium ausi sunt, primus, quantum ex Historia Mathematica compertum habemus, est ALBUMASAR, de cuius genuina appellatione discrepant Eruditorum sententiæ. Præter variam nominis mutationem, quæ habetur apud Theoph. Spizelium, (e) adducit aliam Joh. Henr. Hottingerus, (f) qui illum potius Abu Mansorem appellari amat. Gerh. Joh. Vossius (g) verò substituit nomen Aboassar, quod Gabriel Naudæus (b) mayult legi Alboasar. Quocunqve tamen nomine hic Noster appelleatur, fuit is notæ superstitionis Astrologus, Arabs, Muhammadanæ religioni addictus, qui floruit juxta Lucam Gauricum, (i) anno 844. post Christum natum: cui adstipulatur celeberrimus Vossius; (k) quem tandem vitam cum morte commutasse Anno Hegiræ 272. seu Christi 885. conjicit Spizelius (l) ex Descriptore quodam Illustrum Virorum Arabic. dicto Ibn Chalican. Josephus Blancanus (m) eum ad decimum Christi seculum refert, quo eum floruisse, vulgaris est opinio. Ricciolum (n) si evolvimus, putat eum non multum ante annum Christi 1166, & sic seculo currente duodecimo vixisse. Ex hac varia annorum & sæculorum recensione concludimus, fortasse diversos fuisse hujus nominis Astrologos, præser-

A 3

tim

(e) *Dere literar. Sinens. Sect. XI. p. 220.* (f) *In Histor. Creat. p. m. 130.* (g) *De scient. Mathem. c. XXXV. §. 4.* (h) *In Judicio Cardani sitæ prefixo.* (i) *In Calend. nov. Ecclesiast. p. 16. quod prodiit Vener. 1552.* (k) *Loc. cit. cap. XXXV. p. 173.* (l) *Cit. loco p. 221.* (m) *In Chronol. Mathem. p. 56.* (n) *In Chronicō Almagest. sui nobis.*